

ALBERTVS II. CAESAR.



Albertus ille filius fuit Alberti eius nominis quarti Austriæ ducis, & Ioannæ filiæ Alberti senioris ducis Bauariæ. De hoc eius patre atq; Ernesto & Guilhelmo cognatis poetæ Germani mirabilia quædam finxerūt, propterea quod in Terram sanctam profecti orbis mirabilia uidissent. Rithmis enim gentilitijs tradunt, quod illi per cæcas vias perruptis scopulis, splendore carbunculī inuēti, in Indiam usq; penetrarint, atq; rostratos homines & gigantum & pumilionum exercitus uiderint. Hic itaq; moriens anno 1404 hūc filium Albertum quinquenem tantum reliquit optime spei puerum. Propterea patrueles Lupoldus, Fridericus, & Ernestus, quum Austriae gubernationi insufficiens esset, tutores ei ordinati, idq; maxima prouinciæ iactura. Dum enim quisq; fratum pro tutela cum alijs digladiatur, Austria laceratur ac scinditur, ipsa Vienna deuastat. Interea tamen puer ab Andrea Blanco Garstensi parrocho, & Ramperto à Vualsee uiro strenuo in omnibus uirtutibus & melioribus literis instituitur.